



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus I. De præparatione Sacerdotis celebraturi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)


CÆREMONIALIS
Fratrum Minorum strictioris
Observantiæ Provinciæ Saxoniae
sanctæ Crucis,

PARS II.
DE RITU SERVANDO IN CELE-
BRATIONE MISSÆ.

*In hac parte juxta ordinem Titulorum imo agemus de priva-
ta, deinde secundum eundem ordinem Titulorum de
Missâ solemnî.*

TITULUS I.

De præparatione Sacerdotis celebraturi.

N. 1.  *Tsaltem Matutino cum Laudibus absoluto orationi ali-
quantulum vacet. Citat BARBOSA Auctores 20,
quos ipse sequitur, censentes Missam ante Ma-
tutinum dicere non esse peccatum mortale : ci-
tat alios decem & novem affirmantes esse pecca-
tum mortale : Abstrahendo ab hac controver-
sia ; certum nihilominus est, quod ob negligentiam vel tædium re-
rum spiritualium, per accidens ab his, qui vix ad tanta Mysteria se
debiti*

debite præparare conantur, graviter peccari possit.

Ibid. *Super velo ponit bursam . . . intus habentem Corporale plicatum.* Circa hanc complicationem observandum est, ut pars anterior in qua Sacramenta tractata sunt in complicatione media sit.

Paramenta non debent sumi de altari, in quo Missa facienda, nisi à solis Episcopis & Cardinalibus ut decrevit S. Rituum Congregatio: ideòque in locis ubi non est Sacristia ponatur pro Paramentis particularis mensa; si in casu necessitatis sumenda de altari, nunquam in medio sed in cornu Evangelii collocentur.

TITULUS II.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

Quoniam in sequentibus frequens est mentio Reverentiarum & inclinationum.

Nota eam quatuor loquendi modis in Rubrica exprimi, imò per hæc verba: *Profunda Reverentia. Profundè inclinans. Profundè inclinatus.* 2do simpliciter sine addito. *Facit Reverentiam, facta Reverentia, inclinatus. Se inclinans, &c.* 3tio. cum particula diminutiva. *Aliquantulum inclinatus, parum inclinatus.* 4to per hæc verba: *Caput inclinat: inclinato capite, &c.*

Nota 2dò. Per inclinationem profundam intelligimus illam, quæ fit per talem corporis incurvationem, ut manus ad genua, si extenderentur possent pertingere. Dum dicitur *parum inclinatus, aliquantulum inclinatus*, intelligimus inclinationem humerorum, ut sit media inter profundam & capitis inclinationem, etsi in inclinatione capitis etiam humeri, modicè tamen, moveri possint. Dum autem dicitur simpliciter *Reverentia, inclinatus: vel se inclinans*: videndus est contextus, & verba illa referenda ad præcedentia aut sequentia, & apparebit, quod uno loco profundum, altero loco mediocre, alibi solum capitis inclinationem significant, ut hoc Tit. 2do n. 4. eodem hoc Titulo